

le his plura atque meliora inueniet si mecum sentit; sin à me diversa sentit ipse, hæc quoque nimia videbuntur.

Alexandri Tassoni cogitata de veteribus ac novis Scientiis & artibus.

129. Ceterum Alexander Tassonus vir eruditus jam superioris seculi initio in Libro Italico, cui titulus: *Pensieri diversi*, sub finem integro libro comparat veterum ac modernorum inter se res. Quo jam non utor, cum non sit ad manum. Pancirolus quoque scripsit libros de *Rebus antiquis perditis* & quibusdam noviter inventis:

quem iterum edidit Salmuth. Polydori etiam Vergilii libri de *Rerum inventoribus* servire lectori ista amplius resciscere volenti possunt.

Mihi interim ex qua menti sponte occurrerunt, videor non incommode ostendisse id, quod in principio sermonis receperam, nimirum *Regnum rationis hodiernum, quod præ ceteris quidam extollunt; nihil admodum præcipuum habere præ antiquo, multo minus antiquitatem à junioribus mereri contemptum.*



PARS IV.

Hodiernos sic dictos FORTES SPIRITUS videri DEBILES.

Fortis spiritus vaga idea.

130. Hæc quoque una est illarum rerum, de quibus multus hodie solet fieri sermo, quæ tamen non solent definiri *quid sint?* Unde fit, ut *Fortis spiri-*

tus ideam sibi quisque pro lubidine sua fingat.

Hinc quidam eo delapsi Athei audent, ut *Atheum* proprie fortem spiritum esse dicant; quia is non ceteris

ra

ra tantum omnia sed etiam omnium summam, DEUM aut negat aut velut figmentum contemnit.

Item Epicurei.

Alii nescio quo pudore aut metu retenti DEUM quidem loquuntur ore velut otiosum inter mundi machinas spectatorem: de ceteris autem rebus nihil existimant, præsertim nihil quod alius invenerit, aut præceperit.

Quoniam autem fortem spiritum esse laudem sapit & videtur habere aliquid præcipuum, mirum videri non debet, si multi illi ciuntur ut hanc fortitudinem affectent. Omnis homo naturaliter scire desiderat: in scientia autem excellere velle, magni etiam animi ac laudis habetur majoris.

Tantoque plures ad hoc pelliciuntur, quando prior apparet facilitas illud fastigium obtinendi.

Facile est fieri fortem spiritum motum. Quid vero sit facilius quam nihil credere, arguere omnia? Stultorum

enim vel unus, proverbio derno- teste, plus una hora nerum; gaverit, quam decem sapientes toto anno probaverint. Igitur ad Fortis spiritus aucupandum honorem levissimi quique facillime advolant; acciditque illis, quod divinae literæ de Eva prima parente tradunt. Promissa est sciamæ scientia, nec qualiscunque sed deorum instar. Satis quidem illicii pro sciamæ, hoc est pro debili creatura. Verum si hac conditione promitteretur, ut longo labore, vigiliis, usu multo ea demum accederet, metuo ut Eva aurem tam facilem draconi adhibuisset. Verum unius pomi esu rem tantam posse comprehendere, hoc sane pervicit. Quid enim facilius quam manducare, & quidem manducare fructum pulcrum visu ac delectabilem? Et quid exoptatius, quam manducando adeo scientia fieri DEO similem, ut DEUS etiam contemptui esse possit, quem alii velut pueri terriculamentum pavescunt?

Sicut Evæ acquirere scientiam manducando.

M 3

Sed

Quid sit spiritus fortis hodiernis?

Sed dicamus jam nos saltem, Quid vel quis sit SPIRITUS FORTIS, quantum tum ex sermonibus quorundam tum ex libris colligere potuimus.

Negare omnia, maxime divina.

131. Dicitur igitur SPIRITUS FORTIS esse ille animus, qui omnibus veri argumentis negat assensum, præcipue moralibus sive auctoritati, & in materia maxime morali ac divina.

Fortis enim apparet id eo, quia non videtur superari ab eo quod alios vincit, hoc est ab argumentis. Et quo fortior sunt argumenta, quæ negat, hoc fortior videtur esse hic spiritus.

Robur spiritus verum est intelligere, non negare.

132. Sed oppido falsa hæc est fortitudo. Robur enim spiritus non in abnuendo consistit, sed in capiendo & digerendo: sicut stomachus potens non ille est, qui omnes cibos respuit & eiecit, sed qui plures & validiores recipit & digerit & in nutrimentum vertit.

Ad rem ergo paucos de

Spiritu vere forti indicabo canones, qui mihi occurrunt, & contraria iis indicia debilitatis. Indicabo etiam spiritus istos falso fortes hujus ævi ad debiliorem potius classem pertinere.

133. CANON I. Fortis spiritus est, qui objecta sibi ab aliis commode exposita potest capere & intelligere.

Debilis, qui hoc nequit: & tanto debilior, quò argumenta veritatem suadentia sunt faciliora, clariora, plura.

Periculum hujus canonis fac in ludo litterario. Stant adolescentes decem: Præceptor docet, Metaphoram esse similitudinem quandam verbo expressam: similitudinem ostendit duci à rebus vita gaudentibus aut ea destitutis &c. Discipulorum unus & alter mox capiunt, & metaphoras etiam justas faciunt, unde tractæ sint ostendunt, rationem omnium reddunt, quidque in iis sit virtutis & animæ tene-

Canon I. Fortis spiritus intelligit ea quæ exponuntur:

Debilis non capit.

Exemplum è Schola.

tenent. Tres alii neque quid dicatur attingunt neque quare, sed dicunt se non capere: forte & dubitationes afferunt, sed frigidæ, ad rem impertinentes, & sensui communi parum consentaneas. Multis tamen modis docte urgenteque magistro tandem percipiunt aliquid, & aliquid etiam efficiunt, & paullatim proficiunt perfecte. Denique alius est, qui nulla ratione adduci potest, ut rem propositam animo cernat; at tamen ait se magistro credere, & ita credendo conatur invenire similitudinem ex eaque ducere metaphoram: tametsi autem sæpe aberret, nihilominus metaphoras aliquas facit; etsi rationem earum non semper nec satis clare reddere valet. Alius porro neque capere se dicit doctrinam, neque fidem adhibet magistro, neque intelligit metaphoram, & futiles insuper contradictiones cum sale effundit in magistrum dicax & in discipulos, simplices illos dicens, ac humilis spiri-

tus, quidni etiam stultos?

Ex horum numero oro, quem tu, bone vir, fortiore spiritu esse præditum arbitraris? Mihi quidem hic, quem postremo loco descripsi, esse omnium & debilissimus, & stolidus præterea videtur, aut mensus communis penitus deseruit. Cum etiam in Exem-animantibus ceteris non aliter judicet genus nostrum humanum. Elephantobelluis. belluis. *Elephantobelluis*: bove vix ulla stupidior: pessimæ autem illæ, siquæ sunt, quæ ne discant etiam artibus quibusdam cavent, quas malitia perversæ indolis aut pigritia suggerit.

134. Spiritus autem fortes hujus mundi, falso ita appellati ex posteriore esse classe mihi penitus videntur. Quando Paulus in Areopago dixit de DEO ignoto, qui sub forma viri advenerit, occisusque à suis ex mortuis resurrexerit, quid factum est Areopagitis? sapientes viri videban-

Exemplum è Schola.

ut aliqui Areopagitæ.

debantur omnes & flos ipse Athenarum, sicut Athenæ flos Græcorum, & Græci flos hominum. Sed ex iis tamen quidam quidem irridebant; quidam autem dixerunt. Audiemus te de hoc iterum: & quidam horum Paulo assensu sunt partim capientes ejus doctrinam, & ex hac parte inducti ut etiam cetera crederent, quæ non penitus capiebant. Horum utri erant fortiores spiritus? Argumenta Pauli vera erant re ipsa: Primi illi eadem non intelligebant, quæ intelligebant tamen fecundi. Secundorum igitur horum spiritus capax erat, fortis erat: primorum spiritus incapax veri aut fecit animum ipsorum malum ut verum etiam riderent; aut ab animo malo spiritus de se capax ita impletus fuit malitia, ut vero non amplius esset locus. Utrumlibet iis evenerit, agros illos spiritus, torpidos ac debiles fuisse necesse est: nam vitium, malitia, rationis sunt infirmitates eamque enervant.

Ita multi hodie, quibus res etiam longe evidentiores inde à pueritia præcitantur de DEO, providentia, cura futuri, contemptu præsentium, æternitate, gratia, voluntate & præceptis DEI, horum capiunt nihil, aut id saltem dicunt: hocque fortiores spiritus creduntur à sui similibus, quo præfractius negant, quo petulantius ea rident, adeoque etiam blasphemant. Nonne hic melior est & fortior ac sapientior humilis rusticus quam superbus philosophus? Non capacior anima teneræ Agnetis inani ac confuso spiritu tyranni? Non plenior verò Stephanus quam concilium totum scribarum incircumcis auribus & cordibus spiritui bono semper resistentium?

135. Capiant Ontologi hæccelitates, formalitates & mille entitatulas, quibus mentem ingurgitent; Antonius autem eremicola illas non capiat: non ob id infirmior Antonius nec fortior Ontologus. Nam omnes

& quæ non capiunt negant.

quia non nes

sunt reales, sed figmenta intellectus

nes illæ subtilitates ipsius mentis sunt partus, quæ vocantur entia rationis; extra mentem hæc omnia nihil sunt: ut cunque ergo mens istis turgeat, nihilominus vacua est, & semetipsa tantum plena, plena fictionum suarum. Sicut ergo vas se ipso tantum plenum ac spatio suo, nisi aliud aliunde sumptum indatur, vacuum est; ita inanis est mens suis tantum, quæ parturit, figmentis oppleta. Contra, quæ sapientes viri capiunt, extra ipsam hominis mentem sunt aliquid, subsistunt, agunt, nisi si sensum communem exutus in illorum prolabare stultitiam, qui negant extra ideas esse quidquam, qui sunt mortaliū omnium debilissimi, cum ideas, hoc est, imagines rerum capiant, res ipsas negent, quasi imago esset aliquid sine re cujus est imago.

Canon II. Fortis spiritus rationes dubitandi

136. CANON II. Fortis est spiritus, cui in intellegendi aliquo argumento occurrunt rationes dubitandi gravitatis aliquid habentes

tes, eademque scit eluere magis realibus. habet & solvit:

Contra debilis est, cui hic aqua hæret: hoc autem est debilius, quo pauciora occurrunt aut leviora: vel quo plura aut graviora sunt contra dubitationes argumenta, quæ eum tamen non movent.

In exemplum statue CLAUDIANUM Poëtam. Is ad agnoscendum DEUM advertens animus, sæpe dubitationibus flectebatur, Sintne dii? an cæco volverentur mortalia casu? Dubitandi rationes ad speciem erant graves: quod probi fere opprimerentur, improbi regnarent, adorarentur. Quas dubitationes solve-re non est omnino facile, cum etiam sapientissimus David rex hoc cogniturus laborem ante se invenerit. Verum Claudiano se obtulit argumentum aliquod magnum contra hanc dubitationem; illud argumentum ejusque vim percepit Poëta; illius denique ope dubitationes compescuit, N ejecit

Exemplum Claudiani de providentia dubitantis,

ejecit. *Abstulit hunc omnem Ruffini poena tumultum, absolvitque Deos.* Ruffinus fraude ac scelere adeptus potestatem, scelere eam exercuit: ad ultimum poenas commertas luit. Itaque Claudianus manus dedit argumento, ita fere secum statuens. Sceleri debita ac commensurata est poena: Ruffinus scelus est: igitur illi poena debetur. Si fit quod debetur, ab aliquo fit debita decernente. Tale quiddam an detur, dubito, quia Ruffino nihil infertur poenae, nihil debiti in eum decernitur. At jam video in Ruffino etiam hoc evenisse. Igitur est aliquid debita decernens. Illud non sunt tortores qui eum interficiunt, cum fiat ipsi nequam & mali. Si casum dixeris id, quod poenas decernit, de nomine non pugno: hoc autem agnosco, *casum*, hunc esse justum: justum non esse caecum, non nihil. Et cum hic casus etiam alias acciderit (historias enim teneo) necesse est ens decernens iusta esse antiquissimum, ef-

& dubium
deponen-
tis

se universale, non locis finitum, verbo esse divinum. Assentior, esse Deos.

137. Contra statuamus *Exemplum* Pharaonem. Is non qui *plum* Pharaonis, in universum: sed hoc tantum agebatur, num profectio, quam Moyses flagitabat, populi Hebraei in desertum esset DEI veri praecipuum? Nec deerant Pharaoni rationes dubitandi non leves, certe tales quae regibus videri solent omnium gravissimae. Quid enim diceret Puffendorffius, Montesquieus & ceteri naturalistae! Ducentae Myriades hominum volunt e regno tuo migrare, Pharaon, cum omni supellectile sua, cum omni pecunia, auro, servis, mercibus: & migrationi praetextunt voluntatem DEI. Considera rex, quid sis acturus. Jure naturae administranda tibi respublica est. Jus naturae agnoscis ex sola ratione, ex solis determinationibus naturae humanae ac rerum, ex solo climate
fibras

fibras laxante; ex solis commodis ad societatem hujus tantum vitae; abstracto ab omni voluntate DEI, quae ad Theologiam tantum, Theologia autem ad regni administrationem minime pertinet. Jam balbutiens iste vir Moyses, & latro quidem, qui Aegyptium nuper interfecit, dicit tibi, voluntatem DEI, quem nec nominare scit, esse ut migrant tot tui coloni, pastores, divites: Tu vero ex determinationibus naturae humanae ex climate Aegypti, ex commodis hujus vitae & societatis evidenter agnoscis, regnum tuum deficere, incommoda pati, divitias multas amittere si hos dimittis. Haec tibi evidenter sunt, DEI autem nescio cujus voluntas dubia est ac probabiliter conficta. Sequere igitur sanam rationem, quam tibi, si vis etiam scientifica methodo & algebra adhibita possumus demonstrare, & populum hunc rebellem nequaquam dimitte, sed & Moysen tumultus auctorem in vincula conjice &

ad ceterorum metum e furca suspende, sicque caput seditioni amputa. Accessere Pharaoni momenta dubitandi etiam majora: mira a magis Aegyptiis patrata contra alia mira patrata a Moysese: quae mira solent, ubi cetera omnia deficiunt, flectere animos ad assensum vero praestandum.

Necesse est FORTISSIMUM omnium SPIRITUUM fuisse Pharaonem, quod tanto magis de eo praesument Politici, quia Rex fuit Pharaon, & fortassis etiam Philosophus & insuper mathematicus. Quid enim fortius eo spiritu qui neque DEI colendi respectu neque miris patris neque poenarum ante praenuntiarum experimentis tantis, nec primogeniti filii sui morte intempestiva potuerit superari, divinci? qui in abnegando non tantum eosque peritit, sed discedentem populum cum exercitu est insecutus usque in maris alveum, & usque in interitum & exitium

sed Cui
nulla ar-
gumenta
dubium
cripiunt.

homini
stupidif-

N 2

non

sine per-
vicaci. non suum solius sed tot
millium armatorum, quo-
rum infelicitum erat ipse in-
felicitissimus dux, quia tam
perdite fortis?

Ei similes Quid aliud sunt quam
hodierni. secundi Pharaones, quam-
quam non reges, miseri
hi, qui se fortes spiritus
hodie dicunt? Horatius
quidem Epicuri ex hara
porcum professus, qui
DEUM providum nega-
bat, fortis in hoc sibi vi-
sus, dedit tamen manus
cristasque submisit, cum
fulmine tacta Capitolinae
aedes starent. At hi lon-
ge sunt inexpugnabiles lon-
ge fortissimi ignorantia he-
roës. Tonat? rident ore,
quamvis corde forte con-
tremiscant. Necessarii ac
scelerum participes ab ip-
sorum latere abrepti mise-
re pereunt? casus fuit, aut
fatum cæcum, debuit fieri.
Pereuntés ac perdití faten-
tur se errasse, recantant,
exemplo terrorem faciunt?
delirare dicuntur, & in-
stante periculo mentem
amisisse. Animus intus lo-
quitur, jubet respicere,
metus facit? Præjudicia

sunt educationis, religio-
nis. Sapientes viri aut li-
bri argumentis agunt? aut
clauduntur mentis oculi
ne videant, aut Pedantis-
mus & Fanatismus dicaci-
fale aspergitur. Sidera,
elementa, humanae vices,
corporum mira organa,
animarum mira vis clamant
cantantque opificem? Ex
sacco atomorum temere ef-
fuso nata sunt omnia,
hocque putare longè est
sapientius, quam rerum
causas finesque tenere. *O
caecas hominum mentes! O
curva in terras anima & cae-
lestium inanes.* Tam for-
tis est horum ratio quam
porcae glande vescentis,
quercum ignorantis.

138. Exemplum Comi-
tis Worcesteriensis ex Phi-
losopho Hobbiano Athei-
adduximus in *Lava detra-
ha* Cap. X. Them. II. Qui
DEI rerumque sublimium
contemptor eximius,
quamquam reluctantè in-
tus animo, *Spiritus fortis*
laudem eousque captavit,
ut Atheorum etiam do-
ctorem agere profiteretur,
gratia tamen JESU Chri-
sti.

Exem-
plum Co-
mitis An-
gli ex pro-
fesso At-
hei.

sti ejusque Crucifixi ha-
ctenus spreta, irrisa, cal-
cata agnoscere cæcitatem
miseriasque Spiritus sui
potuit. Simplex enim le-
ctio Capitis Quinquagesi-
mi tertii ex Isaia Propheta
hominis animum feriit,
cristas succidit vir dolo-
rum non aperiens os suum,
atque is cui non erat spe-
cies neque decor, despe-
ctus & novissimus virorum
& sciens infirmitatem, &
quem fortes illi putant esse
quasi leprosum ac novissi-
mum virorum; is comiti
huic lectus, radio divini-
tatis intus agente dispersit
ac debellavit superbum,
deposuit potentem for-
temque spiritum de sede
ac Cathedra pestilentiae, &
exaltavit humiliatum ad
agnoscendum quaedam di-
vinitatis arcana, quæ nun-
quam nunquamque capi-
unt nisi parvuli in oculis
suis, cum quibus est sermo-
cinatio Sapientiae aeternae.

Simplices Hi enim simplices, con-
dubitant. tra, quam illi fortes, sciunt,
non cuicumque dubitandi
rationi succumbere, sed
sed mo- eam modesto de se sensu
destia vincunt.

superare atque resolvere.
Quibus enim altum im-
pressus est sensus certus
de Ente primo ac summo,
sine quo nulla essent qua-
liacunque secunda, ii quid-
quid dubitationum sive
de Primo ente sive inter
secundos ejus effluxus
obortum ipsis fuerit, haud
ægre sustinent. Primum
enim ens primum etiam
est lumen, prima ratio,
prima sapientia, quæ ne-
cessarios suos ac familia-
res sibi cohærentes nun-
quam desinit in rebus ne-
cessariis illuminare.

139. CANON III. For-
tis est Spiritus, qui argu-
menta ambidextra seu sophi-
stica rite distinguit.

Can. III.
Spiritus
fortis ca-
villos fol-
vit,

Debilis est, qui aut So-
phismatis tam facile irreti-
tur, aut ipse sophista est;
sive qui argumenta aut nihil
probantia aut aliud, sine ul-
la discriminatione admittit,
aut in partem tantum fini-
stram trahit specie deceptus.
Tantoque est debilior quan-
to patenter est fallacia.

Experimentum hujus Exem-
rei

plum *Ba-* rei nobis dedit *Bayle* inter
lius, Spiritus fortes certo nu-
meratus, quippe vel
Atheus, vel alio iudice
Atheorum paranympus.
Is cum fuerit ausus Logi-
cam edere, sive mundum
reliquum docere artem
recte ratiocinandi, passim
ipse pudendis sophismatis
& cavillis misere scatet.
Pauca ejus specimina ex-
posuimus in *Larva detra-*
cta, quibus contendit, non
dari sensum communem.
Vid. ibi Caput VIII.

Puffen- Alia miseræ fortitudi-
dorffius, nis exempla edidere for-
tes alii Spiritus, ut *Puffen-*
dorffius, itidem denudatus
in *Larva detracta* Cap. XII.
& XIII. & passim.

Thomasius, Rursus *Thomasius* in
eadem *Larva* Cap. XV.
Them. XI. seqq.

Velthu- *Velthusius* quoque in
sus, *Larva* eadem. Cap. X.
Them. I.

Auctor Denique auctor spiritus
Legum. Spiritus legum; aliquantisper exa-
minatus à nobis in *Disqui-*
sitione Spiritus Legum.

140. Quodsi vero exem-
pla eorum afferre velimus,
qui de DEO ac divinis
cavillos spargunt, in lon-
gum abducemur nos & in
ipsum opus: quod tamen
opus suscipere, eosque
miseros Spiritus jam armis
adoriri nobis non est con-
stitutum, qui specimen tan-
tum aliquod qualecunque
nobis in mentem venit,
de Fortium illorum spiri-
tuum indole describere
voluimus.

141. Dicunt igitur hi, *Cavillus*
exempli causa, in hunc *Atheorum*
modum: Fulminum, ac
ceterorum id genus potest
reddi causa, ut nubium
conflictus, sulphuris nitri-
que in vapores soluti co-
pia per nubes sparsa, quæ
motu ignem concipit ut
rota. Ergo DEUS non
est horum causa, neque ex
his probatur DEUS, ergo
DEUS non datur, figmen-
tum est.

Egregio prorsus arguen-
di artificio, dignoque
Gigantæo spiritu. Ut si
dicerem: Bælii potest
ostendi genitor; nimirum
illius

illius Pater & mater. Er-
go Avus & proavus non
est Bæli causa, nec ex Bæ-
lio probatur avus: Ergo
Bælius avum nullum, nec
proavum habuit.

142. Alias perspicaci
sapientia sic argutantur:
Sejanus raptor est, Ruffi-
nus latro, David mæchus,
Julianus Blasphemus,
Cromvvelus Tyrannus,
Nero parricida: & nihilo-
minus regnat scelus, du-
cunt in bonis dies suos:
Ergo non datur providen-
tia, & si quis etiam datur
forte DEUS, incuriosus
est rerum humanarum.

Non minus admirabilis
& hæc scilicet est ratioci-
nandi peritia, ut si dicam:
Hac hyeme non tonuit,
non fulminavit: ergo
cælum non intorquet
fulmina, nec dantur tem-
pestates.

143. Alias solent dicere:
Non video quemquam,
qui post mortem suam mi-
hi quidquam diceret in au-
rem, aut quem viderem:
Ergo post mortem nihil

est, & vita altera fabula
est.

Magistraliter. Faveat miser.
orbilius verbo non suo.
Pari ego sapientia dicam:
Antipodum aut Caribum
nemo me comminus salu-
tat, Japonum nullum cer-
no oculis: Nihil igitur
sunt Antipodes, Japones
pulcra fabula sunt.

Hoc autem genus sunt
tanto & his quæ attuli
etiam frigidiora, quibus
fortes Spiritus magni sibi
videntur & multum ultra
vulgus sapere, ut sit quam
miserum cogitatu tam nar-
ratu prolixum.

144. CANON IV. For-
tis est Spiritus, qui ex veri-
tatibus cognitis scit alias
plures incognitas invenire ac
stabilire.

Canon IV.
Fortis
Spiritus
ex cogni-
tis educit
incognita:

Debilis est, qui his subsi-
diis uti nescit: Stolidus, qui
subsidia abjicit, & se solo in
tenebris prorepere pergit:
aut est egregie vanus, qui
palam quidem profitetur, se
subsidiis aliorum non indi-
gere, ea abjicere, & nihilo-
minus

minatur? A finos enim dicit qui secum in luto volutari renuant & paulo altius assurgant animo.

Hæcque hætenus de Regno rationis hodierno, deque Fortibus in hoc regno Spiritibus non pro rei

quidem dignitate sed pro ingenii hujus angustiis & pro tempore dicta sunt: Quæ si profecerint quidpiam ad Regine veritatis honorem, illam ipsam, cui soli litare in animo fuit, pronus adoro: sin fefellit me spes, aurem docentibus lubens dabo,

J. O. G. D.



PRÆFATIO.

Duo sunt, quæ sanæ rationis profectui ex æquo adversantur, alterum *negligentia*, alterum *præsumptio*. Illa non audet discere quibus esset opus, metu laboris: hæc non vult discere alia, quia præsentia qualiacunque sint pro magnis habet & sufficientibus, & sese nimium amat.

Atque ut sunt quemadmodum bona seges, ita etiam lolia inter se connexa, alterum alteri vitio ortum præbet & occasionem mutua. Negligentes solent esse præsumptuosi, quia sperant paucis obtinere id atque stertendo, quod labore constat. Et præsumptuosi solent esse negligentes, quia amor proprius suadet, nihil deesse quod labore sit adipiscendum.

Hodierna atas præcipue est ferax præsumptionis. Omnia se scire velut de cælo illapsa videntur multi sibi videri, qui aliquid dicere aut cogitare possunt, quod ipsi *rationis* nomine appellant sæpe falso. Quisquis in rebus aliquibus scit suum *Ergo* proferre, aut suam *Quia*, ille se ratione pollere plurimum autumat, & omnia ex suo proprio fundo sperat eruere: satis enim *Ergo* & satis *Quia* intra se continet. Ignoscat mihi auris Latina.

Sed sunt inter homines nonnulli, qui non contenti sese præsumptuosos esse, etiam aliis ad præsumptionem sunt duces. Hos ego dico, qui rationi præsentis applaudunt, cetera omnia, quamquam sint rationis adminicula & fax, abesse jubent, imo fœde etiam derident.

Plures